

Joannem minus idoneum Episcopatu Alexandrino videri, quippe qui olim de Ecclesia exire voluisset, & Solophaciolo fuisset, ut nomen *Dioscori* sacris Diptychis infereret. Ad hæc, Joannem perjurii reum esse affirmans, quia juraverat olim Imperatori, nunquam se Alexandrinam Sedem ambiturum. Adjecit denique *Acacius* Petrum Mongum Alexandrino Episcopatu magis idoneum esse, utpote gratum & acceptum populo Alexandrino, ejusque opera Ecclesiæ Urbis Alexandrinæ, ac totius Egypti ad unitatem & concordiam revocari posse. His speciosis rationibus Acacii permotus *Zeno* scripsit ad *Simplicium* Summum Pontificem, ut *Petrus Mongus* in Sedem Alexandrinam restitueretur, *Joannes* vero, utpote perjurii reus, ab ea omnino arceretur. Rescripsit Imperatori *Simplicius*, se, lecta illius Epistola, suspendisse quidem *Joannis* ordinationis confirmationem, at se nec posse, nec debere in Sedem Alexandrinam restituere *Petrum Mongum*, cum esset Hæreticus, ab Hæreticis postulatus, judicio Apostolico damnatus, & in pristino suo errore adhuc perveraciter hæret. Interea *Joannes Talaja*, Sede Alexandrina pulsus Romam venit, & *Simplicio* Papæ, ad quem appellaverat, suavit, ut pro sua causa ad *Acacium* Constantinopolitanum Episcopum adversus *Petrum Mongum* scriberet. Quod quidem prompto, ac lubenti animo fecit *Simplicius* Papa, frustra tamen, quia *Acacius* acceptis *Simplicii* literis, respondit, se minime agnoscere *Joannem* Episcopum Alexandrinæ, *Petrum* vero *Mongum* jussu *Zenonis* Imperatoris in communionem suscepisse. Sic Sedem Alexandrinam denuo occupavit *Petrus Mongus* vaferrimus Hæreticus, qui, licet datus ad *Simplicium* Papam, & ad *Acacium* Constantinopolitanum literis simularet, se Synodum Chalcedonensem, & Epistolam *S. Leonis* Papæ contra Eutylianam Hæresim suscipere ac venerari, postea tamen utramque anathemate confixit, & tam Concilii Chalcedonensis, quam Epistolæ *S. Leonis* insensissimum hostem sese palam exhibuit. Mortuus est *Petrus Mongus* Alexandrinæ anno ccccxc. & in ejus locum *Athanasius* ejusdem satiræ homo, & Henotici *Zenonis* defensor promotus est die IX. mensis Februarii ejusdem anni Episcopus Alexandrinus. Sedit annos VII. & e vivis excessit anno ccccxcvii. *Athanasio* successit in Sede Alexandrina *Joannes Mela*, seu *Hemula* eadem Hæreseos & Schismatis fuligine maculatus. Sedit annos novem, & obiit anno quingentesimo sexto. Hæc est series Episcoporum, qui in quinto sæculo præfuerunt Ecclesiæ Alexandrinæ, cujus pacem perturbarunt Episcopi Schismatici & Hæretici, eamque in duas factiones dividerunt, aliis *Henoticon* Imperatoris *Zenonis* amplectentibus, sed Synodum Chalcedonensem damnantibus; aliis vero illud *Zenonis* concordiam Edictum suscipientibus, Synodum tamen Chalcedonensem non recipientibus, indeque invicem inter se pugnantibus. Catholici autem Synodum Chalcedonensem admittebant, & Henoticon *Zenonis* respuebant.

D. Fuitne etiam interrupta series Episcoporum Catholicorum, qui in quinto sæculo Antiochenæ Ecclesiæ præfuerunt?

M. Ecclesiam Antiochenam variis factionibus in quinto sæculo ab Episcopis Schismaticis, & Hæreticis fuisse perturbatam ac contaminatam, facile percipies percurrendo seriem Episcoporum, qui illius Sedem tenuerunt. Mortuo *Flaviano* Antiocheno Episcopo anno cccciv. *Porphyrius* Ecclesiæ Antiochenæ Episcopatum suscepit, & vita functus est anno ccccxi. *Porphyrio* successit *Alexander*, qui vitam protraxit usque ad annum ccccxx. & in ejus locum successit *Theodorus*, qui Ecclesiam Antiochenam rexit usque ad annum ccccxxix. eodem anno *Joannes* consecratus est Episcopus Antiochenus, seditque annos tredecim, & obiit anno ccccxxiii.

Disputant inter se Historiæ Ecclesiasticæ periti, an iste *Joannes* Episcopus Antiochenus Nestorii Hæresi faverit, nec ne? Hi, qui *Joannem* Antiochenum non tantum Nestorii personæ, sed & Hæresi favisse autumant, duobus fulciuntur momentis. Primum est, quod Synodus Œcumenica Ephesina passim asserit, *Joannem* Antiochenum cum Nestorio sentire. Alterum est, quod *Joannes* Antiochenus una cum aliis Episcopis Orientalibus duodecim *S. Cyrilli* Episcopi Alexandrini Anathematismos Nestorianis erroribus oppositos exploserit, atque impugnavit. Verum, alii probabilius docent, *Joannem* Antiochenum plus æquo quidem favisse personæ Nestorii, eum tamen ab illius errore semper fuisse alienum. Id aperte satis colligi posse videtur ex illa Epistola, quam *Joannes* Antiochenus scripsit ad Nestorium, in qua ipsum ad erroris palinodiam vehementer adhortatur, eumque obnixè rogat, ut, abdicatis omnibus præjudiciis, Virginem Mariam, juxta SS. Patrum doctrinam, vere *Deiparam* esse agnoscat. Hinc *Sixtus III.* Summus Pontifex in Epistola ad *Cyrillum* Alexandrinum discrete asserit, *Joannem* Antiochenum dogmatibus Nestorii nunquam adhaesisse. Idemque testatur *Leonius* lib. de Sectis actione quarta. Verum quidem est, *Joannem* Antiochenum rejecisse, & impugnasse xix. *S. Cyrilli* Alexandrini adversus Nestorium Anathematismos; sed hoc non errore juris, ut ajunt, sed errore facti deceptus præstitit *Joannes* Antiochenus. Existimavit quippe, sed falso, *Cyrillum* Alexandrinum in xii. illis Anathematismis in extremum alium errorem, & Nestoriano errori e regione oppositum desexisse, atque *Apollinaris* Hæretici venenum propinasse. In hoc errore facti adversus xii. *S. Cyrilli* Anathematismos, non solum *Joannes* Antiochenus, sed multi alii Episcopi Orientales versabantur, quamvis sanam & illibatam Ecclesiæ doctrinam contra Nestorium tuerentur. Cæterum negari non potest, *Joannem* Antiochenum, tum ex illo nimio studio impugnavit *S. Cyrilli* adversus Nestorium Anathematismos, tum etiam ex eo Orientalium Episcoporum conciliabulo, quod coegit, nolens interesse Concilio Generali Ephesino contra Nestorium congregato; tum denique ex verbis quibusdam amb-

ambiguis atque suspectis, quibus fidem suam ante initam pacem exponebat, justam Patribus Ephesinis ansam præbuisse, existimandi, quod prava Nestorii dogmata propugnaret. Ast rebus postea accuratius discussis, innotuit Patribus Concilii Ephesini, *Joannem* Antiochenum, aliosque ipsi adherentes Episcopos Orientales profanas Nestorianarum vocum novitates damnare, & constanter profiteri, Sanctam Virginem Mariam vere Dei Genitricem esse, ut videre est in Epistola *S. Cyrilli* ad *Valerianum* Iconii Episcopum, quæ refertur a *Liberato* in Breviario cap. 9. Quin & *Joannes* Antiochenus in Epistola ad *Theodosium* Imperatorem sic Nestorium damnavit, ut nullum de recta sua fide dubitandi locum reliquerit. & depositum, inquit, sive damnatum habemus Nestorium Anathematismos subjicientes quæcumque ab eo aliene, ac peregrine dicta sunt contra Apostolicam doctrinam. *Joannes* igitur Antiochenus Hæresi Nestorii nunquam suffragatus est, quamvis illius personæ impensus, quam par fuisset, faverit.

Joanni Antiocheno Episcopo anno ccccxi. vita functo, successit in Sede Antiochena *Domnus*, *Joannis* ex forore nepos, vir fuit dubiæ fidei, imprudentis consilii, varæque fortunæ. *Theodorum* Mopuestiæ Episcopum Nestorianæ Hæreseos assertorem defendit, ob idque ab Episcopis Pseudo-Synodi Ephesinæ, *Layracini* nomine satis notæ, anno ccccxi. depositus est. Misit quidem in irritum *S. Leo* Papa omnia illius prædicatoris Synodi Acta, & restituit Episcopos, quos illa e suis sedibus dejecerat; *Domnum* tamen in Sede Antiochenam non restituit, sed potius confirmavit ordinationem *Maximi*, qui ab Anatolio Episcopo Constantinopolitano, jussu Imperatoris in locum *Domni* fuerat consecratus Episcopus Antiochenus. *Domno* autem Sede Antiochena dejecto, annuum ex Ecclesiæ Antiochenæ reditus censum, annuente Concilio Chalcedonensi, concessit *Maximus*, ut constat ex actione, quæ de *Domno* Antiocheno inscribitur, & Actis Concilii Chalcedonensis, post actionem decimam inserta est, quamque genuinam & sinceram esse contra *Quæsnellum* Dissertatione nona in Opera *S. Leonis*, & *P. Natalis Alexandri* Dissertatione decima septima in Historiam quinti Ecclesiæ sæculi, evincunt *Clarissimus Baluzius* in nova Conciliorum collectione, præfatione in Acta Concilii Chalcedonensis, & doctissimus *Pagius* in Critica *Baronii* ad annum ccccl. *Domnus* rexit Antiochenam Ecclesiam annis octo, juxta *Nicephorum* in Chronico, & Tabulas *Theophanis*. (a)

(a) Sinceritas historiæ de *Domno*, quam *Quæsnellus* sollicitat, multo præ ceteris evidentius demonstratur a *Ballerinis* fratribus in suis observationibus ad Dissert. IX. *Quæsnelli*. Animadvertunt enim viri isti doctissimi in Cod. Vatic. 1322. ante annos mille exarato extare tres actiones latinas ex greco, ut ibi legitur, translata; in his vero duabus mentionem fieri historiæ hujus de *Domno*. Has vero actiones ibidem demonstrant ex greco latine factas ante versionem *Ruffici*, quæ unice in actis vulgatis

repræsentatur; ex quo fit ut vanus sit *Quæsnellus*, qui ex eo validum opinionis suæ argumentum inde deduxit, quod *Rufficus* in grecis actis se id non reperisse testetur, suspicaturque *Rufficum* eandem historiæ fabricasse. Forte enim *Ruffico* grecus codex minus integer præsto fuit, ut totam de *Domno* historiæ aliunde repetere cogaretur. Nec mirum est, inquit illi, actiones de particularibus gestis ab aliis codicibus omitti, ab aliis vero retineri; hinc actiones de *Caroso*, & *Dorotheo*, ac de *Photio*, *Tyrio*, & *Eustathio* Beritensi deerrant in exemplaribus, quibus antiquus interpres *Rufficus*, *Liberatus*, & *Evagrius* usi sunt. Ideo vero *Domnus* restitutionem suam in Ecclesiam Antiochenam non obtinuit, quamquam ceteri Episcopi una cum eo depositi in Synodo Latrocinali redintegrati fuerint, quod ipse sponte cesserit, ac sese in eremum receperit.

Domno Sede Antiochena dejecto anno 449. successit, ut mox dixi, *Maximus*, qui ab Anatolio Episcopo Constantinopolitano ordinatus fuit Episcopus Antiochenus. Duo inter alia ordinationi *Maximi* inerant vitia. Unum, quod *Domnus* ab impia Synodo Ephesina damnatus est. Alterum quod ordinatio *Maximi* suffessi in locum *Domni* adversus *Nicænos* Canones, Apostolicos, & Constantinopolitanos ab Anatolio Episcopo Constantinopolitano, fuisset peracta. Utrumque tamen vitium, quod in ordinatione *Maximi* occurrebat, consulto ob pacis studium dissimulavit *S. Leo* Papa, ut ipsemet testatur in sua Epistola ad *Marcianum* Imperatorem data anno ccccxi. Mortem *Maximi* Episcopi Antiocheni illigat *Baronius* anno cccclvi. eique successit *Basilio*, qui sicut legitur in Chronico *Nicephori*, & in Tabulis *Theophanis*, annos duos sedit, & anno cccclviii. vitam cum morte mutavit.

Basilio Episcopo Antiocheno successit anno cccclix. *Martyrius*, qui sedit annos tredecim, hoc est, usque ad annum cccclxxi. quo anno cum *Petrus Fullo* Ecclesiæ Sanctæ *Bassæ* apud Chalcedonem Presbyter, & Eutylianæ Hæresis fautor innumeros tumultus in Ecclesia Antiochena excitaret, *Martyrius* Episcopus Antiochenus ad illos comprimendos, ad *Leonem* Imperatorem profectus est, & ab ipso obtinuit legem, qua Imperator prohibebat Monachis ne a Monasteriis exirent, neque Antiochiam venirent, & quibus venire permetteretur, ne de Religionis disceptarent. Antiochiam deinde reversus *Martyrius*, cum populi factiones varias, easdemque tumultibus comperisset agitata, cessit in Ecclesiæ Conventu Episcopatu, verbis usus ejusmodi: Clero inobediens, populo contumaci, & Ecclesiæ sordibus infectæ nunciis remitto, solaque Sacerdoti dignitate mihi reservata, Episcopale munus depono. Eo secedente, *Petrus Fullo* (sic dictus quod in Cænobio *Acœmetenium*, ubi vitam Monasticam antehac professus fuerat, *Fullonis* artem exercebat) in Thronum Antiochenæ Ecclesiæ audacter insiliit. Qua temeritate commotus *Leo* Imperator, Synodum Episcoporum fieri

fieri præcepit, in qua Petrus Fullo Sedis Antiochenæ invalor depositus, ac damnatus est ob clausulam ab ipso additam Hymno S. Trifragio: qui crucifixus est pro nobis. Qua additione Theopaschitarum Hæresim, Deum in sua Deitate crucifixum esse asserentium, instauravit.

Petro Fulloni Sede Antiochena iuste deposito successus Julianus, qui sex annis Antiochenam rexerat Ecclesiam, ab anno videlicet cccclxxi. usque ad annum cccclxxvi. quo anno Petrus Fullo a Basilisco Tyranno ab exilio revocatus, in Ecclesiam Antiochenam restitutus est. Sed Zeno, cæso Basilisco Tyranno, & recuperato Imperio anno cccclxxvii. rursus Petrum Fullonem Antiochia expulit, & in exilium ablegavit. In ejus locum ordinatus est Joannes, quem Petrus Fullo Episcopum Apamenum consecraverat. Sed hic Joannes post tres menses ex Antiochena Ecclesia etiam ejectus est. Joanne itaque Sede Antiochena deturbato, Stephanus senior an. cccclxxviii. ordinatus est Episcopus Antiochenus, sedique annos tres, ac subinde vitam produxit in annum cccclxxxii. Cardinalis Baronius autumavit, hunc Stephanum Eutythianorum fidei perduellium gladio occubuisse. At Cl. Pagius ad annum Christi cccclxxxii. ex testimoniis Nicephori, & Theophrasti luculenter ostendit, non hunc Stephanum seniore, sed ejus successorem Stephanum juniorem a fidei perduellibus in Sancti Martyris Barlaam Baptistario, acutis calamis perfoctum, & necatum in Orontem fluvium fuisse projectum. Stephanus autem ille junior, successit in Sede Antiochena Stephano seniori anno cccclxxxii. Mortem hujus Stephani junioris Episcopi Antiocheni ulcisci volens Zeno Imperator, præcepit Acacio Episcopo Constantinopolitano, ut Antiochia crearet Episcopum, isque ordinavit Calendionem anno cccclxxxii. Verum, Antiochenes hujus ordinationis ab Acacio factæ nescii, Joannem nomine Codonatum sibi præfecerunt, quem postea Calendio, ab Acacio ordinatus Episcopus Antiochenus, in Tyri sedem, quæ post Antiochiam prima est, transfudit. Sedit Antiochia Calendio quatuor annis, hoc est ab an. cccclxxxii. usque ad annum cccclxxxv. quo anno Calendio ab Imperatore Zenone Oasim in exilium relegatus est, & Petrus Fullo in Sedem Antiochenam denuo restitutus, in ea permansit usque ad annum cccclxxxviii. quo nefarius ille Hæreticus, & Sedis Antiochenæ invalor extinctus est, eique successit Palladius, qui, teste Nicephoro in Chronico, sedit annos decem, & obiit anno cccclxxxviii. Palladio successit Flavianus, quem nonnulli, secuti Theophrastem, hostibus Concilii Chalcedonensis adhæsisse, affirmant. Alii vero post Evagrium fidem Flaviani Catholicam & inculpam fuisse probabiliter censent, ut videre est apud Cl. Pagium ad annum Christi cccclxxxi. Flavianus rexit Ecclesiam Antiochenam ab anno cccclxxxviii. usque ad annum dxi. quo anno, teste Marcellino in Chronico, exul missus est ab Anastasio Imperatore in Castellum, quod Petra dicitur, ubi Confessor Christi in Domino requiescit. Eodem anno Severus in Sedem Antiochenam in-

trusus est, qui Henoticon Zenonis suscepit, Concilium Chalcedonense damnavit, & Catholicos Episcopos dire exagitavit, sicut ostendemus in nostris Colloquiis in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi.

D. Describere nunc seriem Episcoporum, qui in quinto sæculo Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerunt.

M. Mortuo S. Cyrillo Episcopo Hierosolymitano anno Christi cccclxxxvi. successus est Joannes, qui, postquam sedit annos triginta, migravit ex hac vita anno cccclxxvi. ab hoc Joanne Episcopo Hierosolymitano habita est anno cccclxxv. Hierosolymæ Synodus Presbyterorum, cui interfuit Hæresiarcha Pelagius, eique nimum favit Joannes Hierosolymitanus, ut jam in superiori Colloquio observavimus. Successorem habuit Joannes in Sede Hierosolymitana Praxilium, qui hanc Ecclesiam rexit ab anno cccclxxvi. usque ad annum cccclxxvii. quo anno mortuus est eique successit Juvenalis, qui interfuit Concilio Ephesino, & postquam sedit annos triginta quatuor, obiit anno cccclxxviii. eodem anno Anastasius Hierosolymorum Sedem inivit, sedit annos viginti, & ex hac vita discessit anno cccclxxxviii. ut contra Baronium, & Papebrochium evincit Clarissimus Pagius ad annum Christi cccclxxxvii. Mortuo Anastasio, Martyrius Hierosolymorum Episcopus consecratus est, & teste Evagrino lib. 3. Hist. Eccl. cap. 16. ad Petrum Mongum Alexandrinæ Urbis Episcopum Hæreticum, qui in locum Timothei Solophacioli subrogatus fuerat, literas suas Synodicas misit. Inde tamen Martyrius Eutythianæ Hæreseos, qua Petrus Mongus infectus erat, insinulari haudquaquam debet, quia Petrus Mongus, eo tempore, quo Martyrius Episcopus Hierosolymitanus suam ad illum direxit Epistolam, simulabat se esse Catholicum, & ad Simplicium Papam, & ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum scripserat, se communicare cum illis, & Chalcedonensem suscipere Synodum, quam tamen postea perfictæ frontis audacia publice anathematizare ausus est. Non mirum igitur si Martyrius Episcopus Hierosolymitanus ad Petrum Mongum, quem ipse Catholicum putabat, necdum detectis ejus fraudibus ac malis artibus, suas Synodicas literas miserit. Mortuus est Martyrius anno cccclxxxvi. postquam sedit annos octo. Successorem habuit Salustium, qui Ecclesiam Hierosolymitanam annis itidem octo gubernavit, & e vivis obiit anno cccclxciv. Nicephorus in Chronico de Salustio Hierosolymorum Episcopo hæc scribit: Salustius, a quo separatus est Episcopus Romanus propter Edictum concordie a Zenone editum. At cum Zenonis Imper. Edictum turbaret quidem Ecclesiam, sed nullam Hæresim contineret, non ob id destitit Salustius esse Orthodoxus, ut post Baronium censet Pagius ad annum cccclxcii. Denique, Salustio Episcopo Hierosolymitano successit Elias, qui Sedem Hierosolymitanam tenuit usque ad annum Christi DXIII. quo anno, instigante Severo Antiocheno Episcopo Hæretico, jussu Imperatoris

Ana-

Anastasi Patriarchatu Hierosolymitano dejectus est, ut plenius demonstrabimus in nostris Colloquiis in Historiam sexti Ecclesiæ sæculi. Hic obiter observare sufficiat, hunc Eljam Hierosolymorum Episcopum nunquam favisse Eutythianæ Hæresi, sed potius propter Synodi Chalcedonensis defensionem sustinuisse persecutionem, & Episcopalem dignitatem amisisse. Quia tamen Elias ad servandam pacem Ecclesiæ œconomia quadam, & moderatione usus est, communicando videlicet cum illis Episcopis, qui simul cum Synodo Chalcedonensi Henoticon Zenonis admittebant, ejus moderatio nec Catholicis ardentioribus, nec Hæreticis placuit. Unde vitare haud potuit, quin ab aliquibus Scriptoribus Catholicis incante deceptis tanquam Hæreticus Eutythianus infamaretur, & versa vice ab Hæreticis Eutythianis Nestorianismi perperam insinularetur. Sed illius Orthodoxiam egregie vindicat doctissimus Pagius ad annum Christi cccclxcii. & ad annum cxii.

D. Superest tandem ut texas seriem Episcoporum, qui in quinto Ecclesiæ sæculo Sedem Constantinopolitanam tenuerunt.

M. In locum Nestarii Episcopi Constantinopolitani, qui, ut jam observavimus in præcedentibus Colloquiis, obiit anno cccclxxviii. ordinatus est S. Chrysostomus, qui non minus pietate, quam singulari doctrina Ecclesiam Constantinopolitanam illustravit, usque ad annum cccclxciv. quo anno Sanctus Chrysostomus in Synodo Constantinopolitana depositus in exilium ab Imperatore Theodosio juniore missus est, & ad Deum migravit Comanis die xiv. Septemb. an. cccclxcv. teste Theodoro lib. 5. Hist. Eccl. cap. 34. ubi narrato S. Chrysostomi exilio in Oppidum Cucusum hæc habet: mox inde eadum (Chrysostomum) Pytiuntem transportarunt, Oppidum est situm in extremis finibus Ponti & Imperii Romani, quod accolum crudelissimi Barbari. Verum Clemens Dominus invictum Athletam ad hanc usque insulam non permisit abduci, nam cum venisset Comanas ad vitam senii & doloris expertem transfudit. De causa & origine dissidii S. Chrysostomi cum Theophilo Episcopo Alexandrino, & S. Epiphano Salamæ Antistite, de illius in Synodo ad Quercum, injusta depositione, necnon de variis calamitatibus, quas in exilio passus est Sanctus ille Doctor, commodius agemus in sequenti Colloquio.

Deposito S. Chrysostomo & in exilium ablegato anno cccclxciv. Arsacius die xxv. mensis Junii ejusdem anni consecratus est Episcopus Constantinopolitanus. Sedit annum unum, menses quatuor, dies septemdecim, & obiit die xi. mensis Novembris anni cccclxcv. Ei successit Atticus, qui sedit annos viginti, & mortuus est anno cccclxcv. zelo immoderato Atticus adversatus est Sancto Chrysostomo, eoque adhuc vivente Sedem Constantinopolitanam occupavit. Et istud erinten penitentia deinde, & recte factis expiavit. Nomen siquidem S. Chrysostomi in Diptycha Ecclesiæ retulit anno cccclxcii. & in repurgandis Hæresibus, atque in Orthodoxa fide propugnanda summam adhibuit vigilantiam. Cele-

stium Pelagii discipulum Constantinopoli ejecit an. cccclxxvii. & contra ipsum ad Episcopos Asiæ, Thessalonica, & Carthagini scripsit Epistolam. Messalianos itidem Hæreticos acriter insectatus est, scripsitque Episcopis in Pamphilia existentibus, ut undique Hæreticos exturbarent. Denique, Atticus Constantinopolitanus Episcopus in Menais Græcorum colitur die xiiii. Januarii, ejusque vita ex variis Auctoribus a Bollandi in Actis Sanctorum ad eum diem collecta est.

Attico in Sede Constantinopolitana successit Sifinnius, qui juxta Chronicum Nicephori, & Tabulas Theophrasti sedit duobus annis incompletis, & mortalitatem exiit an. cccclxxxvii. Is, statim ac ad Thronum Constantinopolitanum evectus est, coegit Constantinopoli Synodum adversus Hæreticos Messalianos, quam Petavius, vir aliqui doctissimus, male confudit cum altera Synodo Lyde in Pamphilia contra eosdem Hæreticos ab Amphilochio Iconii Episcopo celebrata.

Mortuo Sifinnio, inter agendum de successore varias in factiones divisus est Clerus Constantinopolitanus, quas ut comprimeret Imperator Theodosius, accessit ex Antiochena Ecclesia Nestorium, qui Kalendis Aprilis anni cccclxxxviii. ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus. Et cum Nestorius suam spargeret Hæresim jam a nobis in præcedenti Colloquio expositam, Sede sua fuit depositus in Concilio Generali Ephesino anno cccclxxxix. convocato, & in suum Monasterium Sancti Euprepri ante portas Urbis Antiochiæ situm amandatus, ubi per quadriennii spatium postquam moratus esset, jussu ejusdem Imperatoris anno cccclxxxvi. deportatus fuit in Oasim, quæ Martimaræ Urbs est in confinis Ægypti sita. A sua blasphemia nunquam destitit impius ille Hæresiarcha, ipsoque vite suæ exitu alter Arius declaratus est, inquit Evagrius lib. 1. Hist. Eccl. cap. 7.

Nestorio Sede Constantinopolitana in Generali Synodo Ephesina anno cccclxxxix. abdicato, Maximianus die xxv. mensis Octobris ejusdem anni ordinatus est Episcopus Constantinopolitanus, & obiit die xii. mensis Aprilis anni cccclxxxiv. qua die colitur a Græcis, ut videre est apud Bollandum in Actis Sanctorum, Maximiano successit Proclus, qui postquam Ecclesiam Constantinopolitanam per annos tredecim & aliquot menses sancte rexisset, ad Dominum migravit die 27. Octobr. anni cccclxvii. ad quem diem colitur apud Græcos, ut constat ex eorum Menologio. In locum Procli demortui subrogatus est Flavianus, qui, ut jam in superiori Colloquio observavimus, postquam exortam Eutythetis Hæresim damnasset, a Dioscuro Episcopo Alexandrino, & Præside Pseudo-Concilii, seu Latrocini Ephesini anno cccclxix. Sede Constantinopolitana dejectus est, & eodem anno Martyr obiit Epipha, quæ civitas est Lydiæ, ad quam missus fuerat in exilium. Variæ sunt, de illius Sancti Martyris morte, Scriptorum sententiæ. Aliqui tradunt, eum in ipso Pseudo-Concilii, seu Latrocini Ephesini loco a Barsuma & suis Monachis fuisse interfectum.

Alii

Alii scribunt, Flavianum ex acceptis in prædatoria Synodo Ephesina ab Hæreticis Eutychnianis plagis, post triduum interiisse. Sedit Flavianus annum unum, & menses decem. Ejus Elogium Historicum exhibet *Henschenius* ad diem XVIII. mensis Februarii.

Flaviano crucidato nefario Eutychnianorum scelere substitutus est in Sedem Constantinopolitanam *Anatolius*, & ab Episcopis ejusdem cum *Dioscuro* factionis ordinatus. Qua de causa *S. Leo* Papa putans Anatolium ab Episcopis Eutychnianis ordinatum in eodem erroris luto cum ipsis hæere, diu dandis ad eum Epistolis pacis sese abstulit. Verum, postquam accepisset *S. Leo*, Anatolium fidei Formule subscripsisse, eumque ab Eutychniana Hæresi abhorre, scripsit ad ipsum Epistolam, quæ est sexagesima inter Epistolas *S. Leonis*, qua ei impense gratulatur, quod Fidem Catholicam profiteretur, & ab Eutychnianis erroribus esset omnino alienus. Famam & Orthodoxiam Anatolii plenissime vindicavit *Andreas Chevillierus* in Dissertatione in Synodum Chalcedonensem de *Formulis Fidei subscribendis*. Mortuus est Anatolius Episcopus Constantinopolitanus an. cccclviii. habuitque successorem *Gennadium*, qui Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfuit tredecim annis, & migravit ex hac vita an. cccclxxi. Gennadio successit *Acacius*, qui multas tragœdias in Ecclesia Orientali excitavit. Petrum siquidem Mongum, & Petrum Fullonem, quos prius velut Hæreticos merito fuerat infectatus, in communionem suam recepit, & in Sedes Alexandrinam, & Antiochenam a *Zenone* Imperatore restitui curavit. Auctor quoque fuit eidem *Zenoni* Imperatori ut conderet & promulgaret decretum suum dictum *Henoticon*, quod diu afflixit Ecclesiam. *Simplicii*, & *Felicis* Romanorum Pontificum monita ludibrio habuit, & Legatos Sedis Apostolicæ hostili more detrusit in carcerem, & multis injuriis affecit, quodque gravius est, Romani Pontificis nomen e sacris Diptychis expunxit, & Schisma constavit, quod non tam cito extinctum est. Ob tot graves excessus justis de causis *Acacius* a Romanis Pontificibus damnatus est, ejusque nomen post mortem e tabulis Ecclesiæ delerum. Quam sententiam Summorum Pontificum adversus *Acacium* latam Ecclesia Orientalis æquissimam esse agnovit, quippe quæ *Acacium* etiam damnavit post mortem, & illius nomen e Diptychis erasit. Quin etiam tempore *Hormisdæ* Pape, sub qua inita est pax Orientalem inter, & Occidentalem Ecclesiam, non prius Orientales Episcopi in Sedis Apostolicæ communionem suscepti sunt, quam subscriberent libello non prava tantum dogmata, sed etiam personam & nomen *Acacii* damnanti. Mortuus est *Acacius* anno cccclxxxviii. & in ejus locum ordinatus est *Flavianus*, quem alii *Flavianum*, alii *Fravianum*, alii *Phraitanum* nominant, qui tantum tres menses & aliquot dies Sedem Constantinopolitanam tenuit. Hunc in Episcopatu Constantinopolitano excepit *Euphemius*, qui anno 496. ab *Anastasio* Imper. in exilium missus est, & in ejus locum subrogatus *Macedonius*, qui Ecclesiam Constanti-

nopolitanam rexit usque ad annum dxv. quo mortuus est. Sunt nonnulli, qui *Euphemium*, & *Macedonium* mox laudatos Episcopos Constantinopolitanos inter Schismaticos & Hæreticos recensent; sed doctissimi Historiæ Ecclesiasticæ Scriptores *Natalis Alexander* Dissertatione vicelima in Hist. quinti sæculi, & *Antonius Pagius* in sua Critica ad annos ccccxcv. & dxv. horumce duorum Episcoporum Orthodoxiam multis momentis asserunt, ac vindicant. Immo *Henschenius* ad diem xxv. mensis Aprilis pluribus contra *Baronium* evincit, factum cultum a Græcis exhiberi *Macedonio* Episcopo Constantinopolitano. Sed hæc de serie Episcoporum, qui in quinto Ecclesiæ sæculo præcipuas Sedes tenuerunt, juxta accuratorem Chronologiam, dixisse sufficiat.

COLLOQUIUM IV.

De Conciliis, que in quinto Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, & de variis Factionibus, in quas distracti sunt Episcopi Catholici.

CUM ad profligandas Hæreses, & ad faciendam Ecclesiæ Disciplinam Concilia celebrari soleant, scire in primis vellem, in quibusnam Conciliis tam Generalibus, quam Nationalibus damnatæ fuerint Hæreses Pelagianorum, Semipelagianorum, Nestorianorum, & Eutychnianorum, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo gratatæ sunt, & deinde, quænam sint illa Concilia, quæ ad Disciplinam Ecclesiæ factam tectam conservandam eodem sæculo fuerunt convocata, quorve Canones ediderint?

M. In Colloquio, quod jam institimus de Hæresibus, quæ in quinto Ecclesiæ sæculo emerferunt, multa memini, me laudasse Concilia, in quibus Hæreses id ætatis enatæ, proscriptæ sunt. Nihilò scius, ut plenioris assequaris notitiam Conciliorum, quæ in eo sæculo habitata sunt, quatuor hic breviter, quoad ejus fieri poterit, præstabo. Primo, recensero juxta seriem Chronologicam omnia Concilia, quæ contra Pelagianos celebrata sunt. Secundo, texam Historiam Concilii Œcumenici Ephesini, in quo damnatus est *Nestorius*. Tertio summam delibabo ea, quæ gesta sunt in Concilio Generali Chalcedonensi, in quo confixus est Eutychnianus error, & iniqua scelera a *Dioscuro* Alexandrino, & ab aliis Episcopis Eutychnianis in latrocínio Ephesino commissa. Quarto, referam Concilia, quæ Canones ediderunt, in quorum serie per plurimum sæculorum cursum ad nos usque deducta vivam veteris Disciplinæ Ecclesiasticæ imaginem possimus contemplari.

D. Recense primo Concilia, in quibus Pelagiani fuerunt damnati.

M. Primum Concilium, quod adversus Pelagianos convocatum est, fuit Concilium Carthaginense habitum anno ccccxi. in quo *Celestius* Pelagii discipulus, qui peccatum Originale, ejusque ad posteros propagationem inficiabatur, damnatus, & anathemate percussus est. Alterum Concilium, seu *Hierosolymitanum*, in causa Pelagii.

Joan-

ECCLESIASTICA.

Joannes Jerosolymorum Episcopus una cum suis Presbyteris celebravit anno ccccxv. eique interfuit *Orosius* acculator Pelagii. At *Joannes* hujus Concilii Præses damnare noluit Pelagium, cujus fraudibus fuerat deceptus, sed solum statuit, ut hac de re litteræ ad Innocentium I. Summum Pontificem mitterentur, ejusque super hac controversia decretorum expectaretur judicium. Eodem anno, seu ccccxv. apud Diospolim Palæstinæ Urbem, *Lyddam* olim dictam, a quatuordecim Episcopis in causa itidem Pelagii habita est Synodus Diospolitana, in qua *Orosius* libellum obtulit, qui nefaria Pelagii dogmata continebat. Verum vaserrimus Pelagius, qui præsens erat, errores sibi ab *Orosio* objectos perstricta fronte negando, vel Fidem Catholicam mentiendo, solum fecit Patribus, & damnationis sententiam declinavit. Anno tamen sequenti, seu ccccxvi. Pelagius, & *Celestius*, licet a Patribus Diospolitans, quibuscum fraudulenter egerant, fuissent absoluti, in altero Concilio Carthaginensi, & in Synodo Milevitana II. ob Hæresim damnati sunt. Circa hanc Synodum Milevitana secundam contra Pelagianos coactam obiter velim observare, in Collectione Conciliorum referri Acta Synodi Milevitanae secundæ cum præfatione, quæ incipit his verbis: *Gloriosissimis Imperatoribus Arcadio, & Honorio Augg. Viris clarissimis, Cos. VI. Kalend. Septembris &c.* Sed observant periti Critici, hanc præfationem non esse Synodi Milevitanae secundæ, sed primæ, quæ anno ccccxi. sub illo Consulatu habita est. Sequuntur postea Canones xxvii. quorum plures adversus Pelagianos editi sunt, octo scilicet Priores. Sed Eminentissimus Cardinalis *Norifus* lib. i. Hist. Pelagianæ cap. 10. pluribus ostendit, octo illos Canones contra Pelagianos adscribi nequaquam posse Synodo Milevitanae secundæ. Quam *Norifus* sententiam omnes eruditores viri ultro amplectuntur. Observat etiam merito *Baronius*, farraginem illam xxvii. Canonum uni Synodo Milevitanae secundæ incriptorum, ad diversa Concilia Africana pertinere.

Sed ab hac brevi digressionem redeamus ad Concilia, in quibus confossus est Pelagianorum error. Putavit *Baronius*, *Aurelium* Carthaginensem Episcopum, & totius Africæ Primatem unam tantum Synodum ex omnibus Africæ Provinciis in causa Pelagianorum Carthagine anno ccccxviii. coegisse. At convenit modo inter omnes viros eruditos, duas Africanas Synodos anno ccccxviii. ab *Aurelio* Carthaginensi Episcopo fuisse convocatas, quarum prima, ut docet *Cl. Pagius*, inchoata est medio mense Januario anni ccccxviii. & finita circa medium Februarium, huicque interfuerunt ccxiv. Episcopi. Altera Synodus ab eodem *Aurelio* indicta est Kalendis Mensis Maji ejusdem anni, & continuavit usque ad primum circiter diem mensis Julii ejusdem anni, ad eamque convenere ccxvii. Episcopi Africani. In priori Synodo Africana, quæ medio mense Januario anni ccccxviii. sub *Aurelio* habita est, Episcopi matura deliberatione inquisierunt, quidnam factu opus esset, ut Pelagianorum artibus ob-

viam iretur. Quocirca, cum Pelagius, & *Celestius* ementita fidei professione *Zosimum* Papam decepissent, Patres illius Synodi per *Marcellinum* Subdiaconum transmiserunt ad *Zosimum* plurimas instructiones, gesta præcedentium Synodorum, & Decreta, seu octo, vel, ut alii volunt, novem Canones de Gratia, Scripturarum, & Sanctorum Patrum testimoniis probatos, quibus Pelagianam Hæresim plane jugulatum iri arbitrabantur. Dederunt etiam illius Synodi Africanæ Patres Epistolam Synodicam ad *Zosimum*, quæ temporum injuria periit, in qua graviter expostulabant, quod Romanus ille Pontifex, posthabito Africanæ Ecclesiæ, & Romanæ per Innocentium Summum Pontificem judicio, quo finita *Celestii* causa fuerat, ad novum examen eam revocasset, & obstaculum libellum interposuerunt, quo suum sibi jus servari flagitabant, & ut nihil de sententia in Pelagium, & *Celestium* tam ab Africana Ecclesia, quam Romana per Innocentium Pontificem jam prolata, immutaretur, sed in eodem cuncta relinquerentur statu, saltem donec unum e suis Romanis mitterent cum idoneis causæ instrumentis, quibus Hæreticorum artes, & verutia aperirentur, palamque ostenderetur, quam legitime, & canonicè damnati essent. *Zosimus*, acceptis Patrum Africanorum litteris, & instructionibus, in *Celestium*, & Pelagium, quos antehac eorum fraudibus delusus innocentes crediderat, decretoriam tulit sententiam; Canonibus de gratia a Patribus Africanis contra Pelagianos constitutis, & in eorum relatione ad ipsum missa contentis Apostolicæ Sedis addidit auctoritatem, scripsitque universis Orbis Episcopis prolixam illam Epistolam, quam *Tractoriam* *Marius Mercator* appellat, & cujus aliqua tantum fragmenta nunc supersunt. Hæc Epistola *Tractoria* *Zosimi* Pape, qua Pelagianorum proscribebatur Hæresis, lecta fuit in secundo Concilio Africano, quod, ut mox dixi, ab *Aurelio* Carthaginensi Episcopo inductum ex Kalendis mensis Maji anni ccccxviii. & summa omnium gratulatione excepta. Unde Patres istius Concilii Africani Epistolam ad *Zosimum* scripserunt, qua ipsi de Pelagianorum Hæresis damnatione impense sunt gratulati. Sunt quidam Viri eruditi, qui censent, præter istud Concilium totius Africæ plenarium, Kalendis mensis Maji ccccxviii. habitum, aliud, seu tertium Concilium Africanum contra Pelagianos habitum fuisse mense Augusto ejusdem anni, in quo lecta, & recepta fuerit *Tractoria* Epistola *Zosimi*. Verum, in hoc hallucinari viros illos eruditos luculenter ostendit *Cl. Pagius* ad annum Christi ccccxviii. ubi solide probat in secundo Concilio Africano contra Pelagianos coacto Kalendis Maji anni ccccxviii. lectam, probatam, & publicatam fuisse Epistolam *Tractoriam* *Zosimi*, & post illud Concilium secundum Africanum, nullum aliud Concilium in causa Pelagii hoc anno ccccxviii. fuisse convocatum. His Conciliis Africanis, & a Summis Pontificibus *Innocentio* I., & *Zosimo* damnati Pelagiani, atque ad exiguum numerum redacti, ut suam prostratam Sectam utcumque erigere, ac fulcire possent, Societatem

inic-